

† Fr. I. Fortunatus Lidy (1859-1937)

(*Prov. Hisp.*)

Belli civilis vicissitudines nobis impedimento fuere quominus in Analectis huius Fratris mentio fieret, qui cunabula Provinciae Hispanicae novarat in eaque ad mortem usque labore et precibus insudavit. Natus die 12 Iun. 1859 in Alsatiae pago Hirsingue seu Hirsingen, nostrae Congregationi nomen dedit duodecimennis, et etiamtum novitius in tunc exordientes fundationes Hispanas missus est die 14 Maii a. 1879, ac quidem in nascentem domum Navae Regis, ubi dein per totam fere vitam commorari debuit; excepta namque sua commoratione in Villarejo ubi a. 1882 professionem emisit, et Asturicae ubi octo annos laboravit, reliquum suae vitae inde ab a. 1892 curriculum egit in domo novitiatus. Hinc patet, quanta veneratione eius nomen ab omnibus Redemptoristis colatur, qui tyrocinii tempore dilecti Fratris exempla mirati sunt.

Omnibus, tam Congregatis quam extraneis, non commune videbatur exemplar perfectionis religiosae et vere typus eorum Fratrum, in dies,

heu! minus frequentium, qui plurima eaque diversa officia piaeclare obeunt. Sacristae, ianitoris, sartoris, oeconomi partes simul explebat ac semper et in quacumque necessitate suam praestabat operam. Musicae etiam non ignarus, longos annos serietate vere religiosa choros puellarum instruxit in ecclesia; immo aliquando etiam novitiis cantoribus preeerat, at semper mirifice temperans iura magistri cum obligatione Fratris laici choristas reverentis. Picturae quoque sat peritus, non solum domui novitiatus profuit, verum ab aliis etiam domibus ad tempus vocatus est, qui artem suam in Congregationis commodum exercebat.

Nunquam non occupatus apparebat, sive in propriis exsequendis officiis, sive in alio quolibet domus negotio iuvando, sive etiam in colligendis quibusvis rebus residuis aut reiectis, conscient se omni confratri indigenti perfugium esse debere. Nec interea minore cura invigilabat ut labores externos interna animi recollectione, precibus iaculaoriis, crebris ad SS. Sacramentum et ad B. V. iugiter opiferam visitationibus quasi condiret. Maxima reverentiae et honoris obsequia Patribus semper exhibuit; immo etiam choristis novitiis, quibus speciatim iuvandis diu adscriptus mansit. Confratres vero laicos semper exemplo in communitatis servitio antecedebat; quodsi interdum quemquam vivaciore sermone lacescierat, statim humili excusatione animos in concordiam revocabat. Ad Superiorum nutum promptus semper aderat, nec semel illum quasi octogenarium in genua proculbentem vidimus, cum minimam aliquam in paranda sacristia oblivionem Superior ei recordabatur.

Praeterea Fr. Fortunatus, qua semper egit caritate et mansuetudine cum indigentibus ad monasterii portas confluentibus, sparsit bonum Christi odorem et apostolatum exercuit vere efficacem. Quotidie namque per se ipse, post prandium, cibos pauperibus distribuebat atque, S. Gerardi vestigia premens, distributionem prece inchoabat, verbis iucundis comitabantur ac suaviter subridens absolvebat. Hinc in notis perturbationibus politicis non defuerunt inter pauperes qui suum carum benefactorem agnoscerent ac tuerentur.

Hac agendi ratione paene immutata quinquaginta et quinque annos a sua professione Fr. Fortunatus transegerat, cum a caelesti pauperum Remuneratore ad coronam vocatus est. Iam a. 1933, gravi morbo correptus, ultimis sacramentis munitus erat; at paulatim convaluit: non ita tamen ut pristinam vitae activitatem in omnibus assumeret. Instantius ergo orationi se devovit atque etiam, forsitan ultra quam vires suppeditabant, domus laboribus. Vix tribus ante mortem diebus eo adduci potuit ut lecto se teneret usque ad horam undecimam matutinam, pridie vero sui obitus per se ipse in ecclesiam descendit SS. Sacramentum visitaturus. Sequenti die, 3 Februarii, sub vesperum sacra confessione mundatur, deinde hora quarta matutina reficitur viatico eucharistico ac hora nona cum dimidia, dum in

ecclesia instituuntur eucharistica feriae V exercitia, in quibus moribundus artem musicam exercere erat solitus, anima eius ad Dilectum evolavit.

Funus humilis Fratris vere fuit manifestatio popularis, in qua cerneret speciosos caritatis flores et fructus, quos ille vivens seminaverat. Intererant cuncti oppidi sacerdotes neconon praefectus civilis cum suis consiliariis; ingens multitudo, speciatim pauperum, precibus et laudibus comitabatur exuvias sacras dilecti benefactoris, quem ore unanimi « bonum et sanctum » praedicabat. Carissimo hoc Fratre emortuo, postremus extinguebatur miles manipuli illius gloriosi, qui ex Italia et Gallia transtulit vexillum S. Alfonsi in oras Hispanicas. R. I. P.